

CUM DEO!

~~XXXV~~ 515.

34

ADUMBRATIO ANALYTICA, 21

SERVITUTES RERUM

166720.

EXHIBENS,

De quâ

SOLENNIS CUM ERUDITIS DISCEPTATIO

SUB PRÆSIDIO

VIRI

NOBILISSIMI, AMPLISSIMI, EXCEL-

LENTISSIMI,

DN. GERHARDI von Stöcken / I. V. D.

CONSULTISSIMI, IN ILLUSTRIS TRE-

boccorum Universitate Inst. Imperial. Prof. Publ.

Amplissimæ Facultatis Jurid. h. t. Decani Specta-
bilis, Præceptoris & Patroni pl. colendi

ERIT

FRIDERICO SCHRAGIO, Argentorat.

Auctori.

d. 24 m. August. h. lq. solitis.

ARGENTORATI,

Typis JOHANN. WILHELMI TIDEMAN.

M. DC. LXVII.

VIRI

NOBILITATE GENERIS, AMPLITUDE
MERITORUM & PRUDENTIA CON-
SILIORUM,

Laudatissimi,

DOMINI

ANDREAE BRACKENHOFFERI,

CONSULARIS, TREDECIMVIRI
ET SCHOLARCHÆ,

VIRTUTES EMINENTIORES

Ut omnes meritò venerantur;


*Ita præsidium sibi jam inde à sacro fonte cœptum
perpetuò duraturum*

humillimo obsequii cultu

suspirat

Devotissimus Cliens

Fridericus Schragius
Argentorat.



CUM DEO!
 ADUMBRATIONIS ANALYTICÆ
De
 SERVITUTIBUS RERUM
 THESIS PRIMA.

DE Libertate Rerum contrarias formas indutâ Duce DEO T. O. M. specimen traditurus, non diffusos & ad usum, quem vocant, practicum accommodatos magnæ molis commentarios exscribam, sed quicquid naturæ hujus Juris maximè conveniet, & Justinianæ Leges arctiori cuidam designationi dandum suadebunt, intra pagellarum & captus fines continebo, ita conatus quidem, minimè vero perfectionis laudem exoraturus.

II. Illa sanè ab initio leni tractu ex ipsis naturæ fontibus labens, mox torrente rapido Juris gentium, imperante ita & necessitate & utilitate, quasi commixta, tandem in amplissimum item & augustissimum Juris Romani Oceanum se exonerat.

III. Evidenti argumento est jus istud Personarum, l. 4. de J. & J. quod dura mater genuit, & subtili remedio justitiæ commendavit, ne atrocioribus fores paterent litibus, quas infano habendi amore avaritia paritura fuisset, pudore nimirum fideque, ut in ferreâ ætate, jam ex hominum commercio fugatis.

IV. Eodem necessitatis vinculo SERVITUTEM nostram
 A 2 extitisse,

extitisse, cum Solonis de Aquæhaustu Plutarcho (in ejus vita) obliquè ita memorata, ἐπὶ δὲ πρὸς ὕδωρ ἔτε ποταμοῖς ἐστὶν ἀεννάοις ἔτε λίμναις τισὶν, ἔτ' ἀφθόνοισι πηγαῖς ἢ χόρᾳ (de Attica loquitur) διαρκῆς, ἀλλ' οἱ πλείστοι φρέασι ποιητοῖς ἐχρῶντο, ἰόντων ἔγραψεν. ὅπερ μὲν ἐστὶ δῆμοσιον φρέαρ ἐν τῷ ἰππικῷ, χρῆσθαι τῷ τῷ (τὸ δ' ἰππικὸν διάστημα τεσσάρων ἢ σαδίων) ὅπερ δὲ πλείστον ἀπέχεσθαι, ζῆλεν ὕδωρ ἴδιον, ἔαν δ' ὀρύξαντες ὀργάνων δέκα βάδῃ παρ' ἐαυτοῖς μὴ ἔυρωσι, τότε λαμβάνειν παρὰ τῷ γείτονι, ἐξάχων ὑδρίαν εἰς ἐκάστης ἡμέρας πλεονεξίας: tum aliæ veterum, quarum Plato (dial. 8. de legib.) prolixioribus, quam ut huc congererentur, verbis, mentionem fecit, de Aquæductu latæ leges speculum exhibent.

V. Romani quidem, licet, Frontino teste (de Aquæduct. Ur. b. Romæ) *ab Urbe Conditâ per annos CCCCXXI. usu aquarum, quas aut ex Tiberi, aut ex Puteis, aut ex fontibus hauriebant, contenti fuerint;* postea tamen tot Aquæductibus Publicis, quorum plures idem nominat, & hodiènum ingentia rudera ostentantur, abundantes, sicuti privatis introducendis opus non habebant, ita nec temerè ad interturbandam privatarum possessionum libertatem usuri, aliter, quam constitutâ legitimis rationibus servitute, ex alieno fonte aut puteo aquam ducere haurireve Civibus concedebant.

VI. Cæterum quomodo illæ servitutes tum ab ejusdem, tum à diversi nominis juribus differant, inque suas, quibus connectæ sunt, partes resolvantur, ulterius enodare, & angustis quidem, quibus inclusa, est, terminis ostendere sibi vindicabit commentatio.

VII. Si more commentantium de laudibus, frequentia & utilitate hujus juris, quod omnis propè vicinitas loquitur, & cujus usus sese ipse ostendit, vellem præmittere, parum ab similis viderer ei, qui vel Ebori candorem addere, vel conatu impari derogare ipsi non vereretur; nec per ambages ire institutum finit exiguis multa thesibus complexuri; id quod ipse titulus promittit.

VIII. Character Servitutis REI sive PRÆDIO impositæ est facultas juris de eodem perfectè disponendi (sive id gentium consensus, sive Civilis tribuerit potestas) imminuta: in quem intendendi erunt oculi nulla vocis similitudine in *δύσβαλον* istam mixtæ

mixtæ cuidam locum facientis opinionem se duci passuro, nec nomina pro rebus habituro.

IX. Quod si enim manumissione cum naturali illa libertate comparata Studiosus contradicendi niti vellet, infirmitate fulcimenti facile laberetur, si conditiones hominum, alteram servitutis, alteram Ingenui Status expertes, utramque subjectum non fictè afficientes, *ἀναλόγως* tantum rerum esse ipsi ostenderetur; illam prædium *uti optimum maximumque est*, hanc *fundi ius deterius* l. 126. de V. S. fuisse factum innuentes; ambas, licet posterior domini non sit, rem cuicumque Dominio accedentem sequi; Dominio alieno subjectum, Domino servire, prædiū prædio non nisi alienum servire, quod ipsi fingendū est præstare, quicquid ex ipso percipit, Domino nihil contradicente. Si vero quis sanæ adeo deliquium pateretur rationis, ut potestatem volendi privatam in rebus omnis sensus expertibus admitteret, *Sacra Principis, Servitutes aut Personarum sunt aut rerum* l. 1. de Serv. reclamantis temeritatem ejus reprimeret auctoritas. Quicquid mixturæ illi rei ipsi affingant, ego præter solam nominis comunionem nihil video.

X. Sed & accuratius dijudicandæ sunt hæ servitutes, tum ab alterâ illâ, quæ personæ tantum debetur, specie, tum ab isto, quod homines adstringit, Juris vinculo, pr. Inst. de Oblig. ne pro altero horum Mercurio destitutus easdem accipiat; cui tamen ex ipsa constitutione penitus inspectâ, quòd pro *iure duobus prædiis diverso dominio subjectis inharente, alterius utilitatem* (in re suâ patientis aut non facientis) *diminuente, alterius, cuius solius usui perpetuo est constitutum, augente* habendum sit, abunde patere poterit.

XI. Et quidem ab initio nemo est, cui perspicuum non sit, quod antea amicis à vicino ob naturalis libertatis præsidium inexpugnabili vix impetratū esset precibus, nunc invitæ etiam, quod onus cætera, & ea prædiis cohærentia, non agnoscunt jura arg. l. 7. de Publican. ejusdem oculis ostentari, si Civili tamen (quæ fuit æquissima Celsi l. 9. de Serv. qua ingratham insolentium hominum mentem, gratuitamque nocendi libidinem compesceret, sententia) modo acciperetur, quantum uni, quod alteri abest, prædio accedit, illique, quod huic servitus

A 3

est,

est, Jus largiri videtur: ex quo luculentiore credo lente perspicitur, hâc ratione Servitutum à nobis jus vocatam esse, ne debenti servitutum, à cujstamen parte diminutio nihil hic jactat aperta, illud, à quo maximè alienum, ἀλόγως attribuisse putemur ab eis, qui alio, quam eo, dici respectu suspicati essent.

XII. Porro cum Accidentis ea soleat esse conditio, ut absque subjecto minimè esse possit, sic jus hoc, *quoties Dominium transfertur, ad eum, qui accipit una transfertur, ut erat apud eum qui tradit* l. 20. §. 1. de A. R. D. nec nisi validis ad eam rem modis, divelli amplius potest ab eo, cui semel adhæsit, prædio: ut non miremur veteres, mutato quasi in substantiam eo, quod ipsi accidit, *jura prædiorum nihil aliud, quam prædia qualiter se habentia* l. 86. de V. S. (τὰ δικαιώματα τῶν ἀγρῶν αὐτῶν οἱ ἀγροὶ εἰσὶ) nuncupasse.

XIII. Ut autem ista qualitas, seu mavis, *δικαιον ὃ καὶ λαμβανόμενον* (Theoph. paraphr. ad §. 1 de Reb. Corp. & incorp.) sine corporibus non subsistit, ita ab iis tantum sustentari posse corporibus manifesti juris est quæ *ἐκίνητα* vocant l. 1. com. præd. ut enim perpetua utendi facultas esse possit, immobilibus opus est, RES καὶ ἐξοχὴν hic Prædiis *συγώνυμους*, Provincialibus hac in parte, in quibus constitutas servitutes *placita inter contrahentes* tuentur l. 3. l. 5. C. de S. & A. Italica æquantibus.

XIV. Nec sufficit ab altera tantum parte, sive serviat illud, sive dominetur, immobilem rem reperiri, sed utrinque, ut hic consideratio aliqua earum sit, (& hic magna differentia ab aliis juribus pars) Res requiruntur, *dum nemo servitutum Urbani Rusticive prædii, nisi qui prædium habet, acquirat debet*. §. 3. de Serv. præd. quorum neutrum ultra, quam illa, quæ extrinsecus accessit, conditio permittit, suo domino præstat.

XV. Unde non obscuræ obductæ nubibus libertatis index apparebit, si vel absolutæ in rebus nostris cumque liberri- mo illo usu conjunctæ voluntatis, vel omni jure licitæ alios eodem arcendi potestatis, eousque, ut *in suo alii hæctenus facere liceat, quatenus nihil in alienum immittat* l. 8. §. 5. si Serv. vind. se ex-

7.
se extendentis facies non offenso alias domini arbitrio occultetur.

XVI. Ex his oppositæ prædiorum ad sese relatorum dominantis servientisque appellationes, ut & acquisitæ impostæque servitutis nomina resultarunt. Magnum sed hic vicinitatis est requisitum, & fundus fundo nisi vicinus servire non potest l. 5. §. 1. de S. P. R. quod tamen non ita, ut vulgus hominum acciperet, intelligendum, quasi omni hic interventu locorum remoto contiguus quidam prædiorum nexus requiratur; sed quamvis loco forsan intermedio, servitutis tamen usui neque in totum, neque pro juris, perpetuam facultatem cum opus est & volumus exigentis, naturâ remoram injiciente, disjunctis cohærere interdum possit servitus: quam ad rem haud secus locorum intermediorum distinctio, quam Urbanorum & Rusticorum prædiorum discrimen Doctoribus notata.

XVII. Commodè ergo discernetur, si ex intermediis illa locis servituti non impedimento fore statuatur, 1. In quibus, licet alienis, aut, quorum ferè hic par ratio, sacris & religiosis, nihil facere oportet. l. 5. si Ser. vind. 2. Publica, quibus utendo usus publicus non prohibetur, sive continentia, sive flumina, si vado quidem aut ponte transiri possint, l. 17. §. 3. de Aq. Pluv. arcend. aut inter plurium dominorum prædia interjecta sint l. 38. de S. P. R. Præter ea quæ nostra, aut in quibus idem quod in serviente fundo licet, ut & aliena, quæ aliquando servire incipiunt, l. 7. §. 1. com. præd.

XVIII. Quid Urbani Rusticive prædii nomine veniat, discors Doctorum videtur sententia, quamvis expedita nonnullis verborum in sequiorem sensum detortorum explicatio, an dicam intricatio, *materiam per usum* interpretantibus videatur, quæ quomodo sibi constet, accuratum contextus, quo & ipsi nituntur, examen instutienti non apparet; dum Jctus in definiendis illis *omnia adificia, licet stabula forte vel alia meritoria in villis & in vicis sint, vel si Prætoria voluptati tantum deservientia*, adhibens l. 198. de V. S. In his loca soli omni superficie carentia ex ratione *materia seu qualitatis* l. 16. C. de præd. minor. attendenda, clarè profitetur, ubi tamen hortos, qui alias continentibus
 juncti

uncti ædificiis ad Urbana referuntur, in causa redituum magis non urbana esse vult.

XIX. Ab his denominari servitutes uti in confesso est, ita neutri, vel ab eis qui debent, vel ab his quibus debentur, servitutes Urbanas Rusticasve dici disputantium parti astipulari possum, qui & legibus convenientiorem, adeoque magis acceptandam Theophili Paraphrasin ad §. 1. Inst. de Ser. Præd. *δο- λείαι οικήαις εἰσὶν, αἰτνε: συνήνωνται οἰκοδομήμασι*, assensu etiam C. I. A. θ. 12. de S. P. V. roboratam Urbanis, & idem C. I. A. θ. 2. de S. P. R. Rusticis denominandis adhibenda iudico; ut hæ sint, sive ab utraque, sive ab altera tantum parte rustica offendant prædia, illæ utrinque superficiebus inhærentes.

XX. Sive autem Urbanum, sive Rusticum, quibus vel acquirenda vel imponenda servitus, spectemus prædia, quin unum idemque dominium recusent, nullus dubito, cum *nemini res sua serviat* l. 26. de S. P. V. Sed quomodo hoc in re sociis communi teneat, vi distinctionis & affirmari & negari poterit, cum *proprio fundo per communem servitus deberi possit.* l. 27. de S. P. R.

XXI. Illud maximè advertendum, quod nec aliena nostris servire queant prædia, si ista, propter quam servitus inventa est, causa non adfuerit, quæ Utilitas est, (sive sub hæc voce vel commoditatem, vel amœnitatem l. 3. pr. de Aq. quot. sive etiam opinione constituentium talem, l. 19. de Serv. nec præsentem tantum, sed pro subjecti natura aliquando futuram l. 10. de S. P. R. l. 23. §. 1. de S. P. V. significari credas) cuius tanta hic est necessitas, ut *quoties nihil vicinorum interest, nec hominum, nec prædiorum servitutes* sint l. 15. pr. eod. Quid enim, si *edes mea à tuis edibus tantum distent, ut prospici non possint, aut medius mons conspectum earum auferat*, imposita servitute profeceris? l. 38. de S. P. V. Cum *meliozem prædiorum causam* non faciant, l. 6. §. 1. de S. P. R. quorum gratia servitus constituitur.

XXII. Et hoc omnino ita esse, si non aliud, certè illi ipsi, quibus, ut existant, constitui necesse est servitutes, sufficienter evincunt modi, nullo eorum frustra invento. Quid enim si *quis jus hoc adipisci conemur conventionibus?* *inventæ sunt* *hujus.*

huiusmodi obligationes ad hoc, ut unusquisque, quo sua interest, acquiramus. l. 38. §. 17. de V. O. Quid si Testamento? Legati inutiliter relictum nullum ex Jure Civili robur. §. 14. de Legat. Sed neque malitia hominum indulgendum esse l. 38. de R. V. cuius egregiae genus nocumentum alterius ad nulla tui commoda exactum, ulla lex permittit.

XXIII. Neque hic attenditur ullus vel usus vel obligatae Personae respectus l. 8. pr. de Serv. sed solius etiam fundi causa constitutam hanc oportet esse utilitatem, nec ultra quam quatenus ad eum ipsum opus est, ut quamvis exinde melior ad praedium causa redundet, si praeter hoc in extraneum quoddam redigatur compendium, nullum servituti huic nascatur nomen, cum illud demum cuiusque sit & esse dicatur, quod proprium eius est, adque alienos usus transferri nequit.

XXIV. Uti soli dominanti praedio destinatum esse oportet, quicquid utilitatis ex serviente ad illud transfertur, ita ut haec ipsa revera haberi possit utilitas, quae hic unice spectatur, perpetuus usus abesse nequit, & ideo etiam supra res eodem loco consistentes, quippe quae praestando & habendo semper essent idoneae, desideravimus, idque ex hac ratione, cum nec eum illud dici possit, quo omni tempore, cum velis, usuro vel ipsi, vel tuo nomine alii potestas non est; quod in servitute praedii ita contingit, si ut praedium, sic & facultatem servitute semel quaesita utendi perpetuam retineas, donec *δολόδις* & justis amittatur modis.

XXV. Hanc perpetui usus potestatem ad naturam servitutis necessariam esse quo magis cognoscatur, praeterquam quod praedia utrinque subjecta requisivimus, quod vicinitatem abesse non posse suo loco allegavimus, minimè omittendum arbitramur illud, quod *omnes servitutes praediorum perpetuas causas habere debent. l. 28. de S. P. V.* Causas voco res omnes, quae servituti occasionem praebent, quarumque gratia vel habendarum, quia praedio profunt, vel arcendarum, quia oneri sunt, servitus constituta est. Perpetuas non uno modo definio, & planè alienus ab ea sum opinione, quasi Paulus per Naturalem Causam hanc vocem prorsus explicaverit; indeque recedere iubet singulorum ad eam exactorum servitutis generum *donum*

ria, quæ præter illas ex naturali causa ortas, suoque ibi subje-
cto tributas, etiam has, quæ ex nostro aliquo, prædium tamen
aut partem ejus ad habendam servitutem subinde paratam of-
fendente facto proficiuntur, l. 8. §. 5. *si Serv. vind.* perpetuas
dici causas mecum sustinebit, qui non actum saltem sed po-
tentiam quoque hic recipio, quod neutri horum respondet re-
movero.

XXVI. Ab hac causa omnes servitutis species primor-
dia traxere, quippe quæ mater & origo, ut necessitas aliis gen-
tibus, sic ipsa Romanæ, pro multiplicitate sui, Rusticis pariter
ac Urbanis varia, servitutum nomina imposuit prædiis. Licet
autem jam animus non ferat, singula, quæ vel Cæpolla *Tra-*
ctat. de Serv. Urb. & Rust. congestit, servitutis genera huc ac-
cumulare, neque manus brevitatem pollicita, quasi uni natum
materiæ tempus arripere audeat, non tamen pigebit exemplo-
rum, quomodo ad sua quæque potuissent revocari capita.

XXVII. Nam ut ab Urbanis ordiar, neminem credo fu-
turum, qui hæc jura, ut Tignum ex nostro in vicini parietem
immittere; ut projicere; ut protectum supra alienum solum
habere liceat, ut paries vicini oneri ferendo, uti nunc est, ita
sit §. 1. *de Serv. Prad. l. 1. l. 2. l. 33. de S. P. V.* iisque similia di-
latandis inservire ædibus repugnaturus: qui servitutes, ut vi-
cinus lumina nostra excipiat iisque non officiat l. 4. *de S. P. V.*
ne vicini gratiori & libero prospectui offendatur; l. 15. *ead.* ut
altius tollatur & luminibus officiat; ut stillicidium in tectum
nostrum avertatur aut non avertatur l. 2. *ead.* interiorum do-
mus commoditatem vel conservare, vel augere contradicturus;
qui sordium & colluviei per cavum vicini locum abluendorum
l. 7. *de Serv.* Fumi ex inferioribus in superiora ædificia l. 8. §. 5.
si Serv. vind. stillicidii vel fluminis §. 1. *de Serv. Prad. l. 28. de*
S. P. V. immittendorum jura, evehendis nostrarum ædium one-
ribus destinata negaturus sit.

XXVIII. Nec malè mihi videor hæc ex Rusticis in suas
collocasse sedes, ne singulis recensendis vacem juribus, si Iter
interdum & urbanis inhærens prædiis l. 14. *com. prad.* Actum,
Viam, Aquæductum, l. 1. *de S. P. R.* distinctas invicem species,
perpetuum fundi aditum patefacere asseruero; si Aquahau-
stum;

stum; Pecoris ad aquam appulsum & similes sequentibus contentas legibus *l. 1. in fin. l. 6. l. 3. pr. l. 4. de S. P. R.* illi Rusticorum generi, quod præter accessum jus etiam sumendi (sive illud sumptum recta, sive obliqua, sive non recta quidem nec adeo obliqua, ad prædium tamen redeat, via) adque fundum nostrum transferendi continet, adnumeravero; si ex Ulpiano & paulo depromptas leges *l. 3. l. 29. eod.* exonerandi fundi nostri causa comparatas exhibere servitutes adfirmavero.

XXIX. Ex quibus summatim contractis, quantum natura hujus juris ad investigandum propositi ambitu suo complectatur, qualesque oporteat esse, ut servitutes prædiorum dici mereantur, non difficile erit animadversu: nam quod ab altera, servientis scilicet prædii, parte de modo utilitatis in eo diminutæ afferendum fuisset, ratio relatè oppositorum ultrò aperit, quantum hic augmenti, tantum ibi diminutionis ostendens. Jam vero quomodo constituendæ sint servitutes, & quid ad eam constitutionem requiratur, quique ejusdem effectus, ordine tangendum magis, quam exequendum.

XXX. Neminem vero latebit, quod magna etiam hic à rebus corporalibus deprehendatur diversitas servitutum, dum illæ quidem revera & sint & habeantur etiamsi nulla ante Civilis ratio accessit; hæ vero non prius existant, adeoque nec acquiri possint, quam constituentur, idoneis nimirum ad id ipsum personis, & legitimis, ut valor aliquis earum esse possit, modis.

XXXI. Hinc vicinos jus tale *sine alterius injuria l. 17. de S. P. R.* contrahere cupientes, dominos (sive nomine, sive etiam effectu tales) esse oportebit, ideo quod *alienis adibus nec imponi nec acquiri servitus possit l. 8. com. præd.* neque illos fortè juvabit communis alicujus prædii societas, cum & illud meminisse debeant, quod ex modo dicto fluit, *unum ex Dominis communium adium servitutum imponere non posse l. 2. de Serv.* quod nulla servitutis per partes vel impositio vel acquisitio sit *l. 6. §. 1. com. præd.* quamvis, *si duo homines binas ades communes habeamus, simul tradendo idem effiçere possimus, ac si ego solus proprias binas ades haberem; sed, & si separatim tradiderimus, idem fiat, sic tamen, ut subtili ratione l. 11. de S. P. R. no-*

visima traditio efficiat etiam precedentem traditionem efficacem. l. 6. §. 2. com. prad. quod jus & in pluribus fociis receptum est, cessione separatim facta simultaneam temporis constitutionem fingente, à parte quoque acquirentium contraria ratione validum. *l. ult. com. prad.* dummodo & hi aut simul, aut separatim, sed ita quasi omnes simul, acquisiverint.

XXXII. Si talis eorum sit conditio, non prohibentur pactionibus atq; stipulationibus id efficere §. *ult. de Serv. prad.* ut *per fundum alterius ire agere liceat; ut in tectum vel in aream adium mearum stillicidium vel rignum in parietem immissum habeas l. 3. precar.* sed prorsus illis attendendum, si tempus vel conditionem adjecerint, non nisi ad exceptionem profutura, dum ipso jure servitutes ita non constituentur *l. 4. pr. de Serv.* & quidem quibus dies vel conditio adjecta est, etiam ante diem, adeo ut vindicari queant, (vindicari autem non prius possent, quam constitutio eas effecisset nostras *l. 2. §. 1. si Serv. vind.*) prædio acquirantur, *arg. §. 2. de V. O.* sed usus saltem interea differatur; sin modum, non impedimento fore, quo minus suum vindicatio juris nactura sit effectum. *d. l. 4. §. 1. de Serv.*

XXXIII. Huic constitutionis modo necessariò annexam, quippe sine qua, cujus vice etiam olim in Jure cessio adhibebatur, Ulpian. *tit. de dom. & aq. rer.* dominia non transferri constat, oporteret traditionem; §. *41. & seq. de Rer. div.* Sed quia nulla ejusmodi juris traditio vacua esset; cavendum putat esse Labeo, quoties via aut aliquod jus fundi emeretur, per te non fieri, quo minus eo jure uti possit, usumque ejus juris pro traditione possessionis accipiendum esse, Jctus existimat *l. ult. de Serv.*

XXXIV. Hæc quidem inter privatos, sed nulla mortis cogitatione fiunt; Ast ut morituri etiam ultima voluntas, liberales forte amici manus experti, vicarioque eundem beneficio affecturi, quod vel in tali aliquo jure concessio fieri posse non ignoret, morte confirmetur, damnabitur Heres, ne hoc vel illud faciat, quo magis vicini commodum impediatur. *t. t. de Serv. leg. §. ult. de Serv. Prad.*

XXXV. Sed & in condendis hisce juribus Judici honor, utpote qui in judiciis, sed iis tantum, divisiis, utilitate

litate prædii alterutrius ductus, in alterius libertatem grassari non impeditur. l. 22. §. 3. *fam. herse.*

XXXVI. Ut multæ de Usucapione servitutum disputationi ab aliis agitata supersedeamus, non absurdè nobis statuisse videmur, si eundem, quo res usucapiuntur corporales, modum de his negaverimus, ut eo tutius omnes usucapi posse asseveraremus. Quodenim *Lex Scribonia usucapionem eam, quæ servitutem constituerebat, sustulisse l. 4. §. ult. de Usucap. quod servitutes, etiamsi corporibus accedunt, incorporales esse, l. 14. de Serv. quod res incorporales traditionem atque adeo usucapionem non recipere. l. 43. §. 1. de A. R. D. legibus dicatur; non refragatur illi, quod alibi dicitur: Si quis diuturno usu & longâ quasi possessione jus aqua ducenda nactus sit. l. 10. si Serv. vind. vel ex jure impositum habere l. 1. §. ult. de aq. pulv. exemploque rerum immobilium tempore quæsitum l. 2. C. de S. & A. eumque, qui Iudex erit, longi temporis consuetudinem vicem legis obtinere, sciturum, modo is qui pulsatur, nec vi, nec clam, nec precario possidet. l. 1. C. de S. & A. nisi origine memoriam hominum excedente iure constituti loco habeat l. 3. §. 4. de aq. quot. & hoc diversæ locutionum & phrasium oppositiones in plano demonstrant, & dubito quin ullus contradicturus sit, qui vel obiter usucapionem rerum corporalium, ad sua, quibus perficitur, requisita examinaverit, hic plura reperiri dissimilia, si modo veram & possessionem & traditionem, quæ in corporalium, & patientiam saltem usumque, quæ in incorporalium usucapione requiruntur, à se invicem discerni consideraturus est.*

XXXVII. Neque hic ullus erit distinctioni illi Servitutes continuas à discontinuis se jungenti, totque jam oribus explosæ locus, quæ ne quidem probabile sibi ex legibus fundamentum adstruat, quo negans animum ad possessionem retinendam sufficere sustineretur sententia, quam ex universali omnis servitutis, quæ sine continua possessione esse nequit, usucapione l. ult. C. de præsc. long. temp. evertet, nisi qui cum illis prædio fortè aliquod jus possidendi bonamque adeo fidem adscribentibus erubescere maluerit, arg. §. 1. l. 49. de Aq. poss. neque vero servitutes hic considerantur tantum ut jura,

B 3

sed

sed & ut accessio rei immobilis, quia per se in bonis esse negantur.

XXXVIII. Unde servitutes tribus principaliter, uno per consequentiam, usucapi posse modis, cum *Donello XI. com. cap. 13.* asserere *Ἀναλογία* juris haud vetabit I. Ad modum corporalium in praedio alieno à non domino, quem dominum esse putavimus ope tituli ad hoc ipsum idonei translatos. *l. ult. §. ult. C. de praescript. long. temp.* II. Longo tempore, nec vi, nec clam, nec precario ab eo, qui praedii servientis dominus erat, possessas. *l. 1. in fin. l. 2. C. de S. & A.* III. Usu cujus origo memoriam hominum excedit, neque scientiam, neque patientiam, neque titulum requirente *l. 3. §. 4. de Aq. quot.* IV. Una cum praediis. *l. 10. §. 1. de Vfus.*

XXXIX. Servitute ita constituta, quin illud juris, quod supra, generalius tamen, indicatum, utrinque experiantur Domini, ultro patere credo, quid autem revera illud sit, quod utrinque ex eo vel decedat vel accedat parti utilitatis, subnectendum. Et ex superius dictis colligi potuit, non personae illud, sed praedii, licet ad alios (singulares aequè ac universales successores) etiam ab invito interdum domino devoluti *l. 23. §. 2. de S. P. R.* esse, quicquid hujus juris beneficio acquiratur; sed praeterea illud etiam intelligendum, quod, cum *indivisibilia & incorporalia tota in toto & in qualibet ejus parte sint*, Gothofred. *in nor. ad d. l. 23.* omnes praedii partes, quamvis particulatim venierit, sequatur servitus. *d. l. 23. §. 3.*

XL. Quod ab servientis praedii latere non sine distinctione observandum est, cujus interdum omnes & ab initio & postea, ut plurimum tamen una duntaxat vel ab initio, nonnunquam omnes, sed ab initio tantum, scilicet loco, per quem dirigeretur servitus, nondum electo partes serviunt, idque pro constitutione facta, ut adeo intersit, utrum generaliter servitus sit constituta, an vero certus in fundo locus ei designatus sit, & si hoc, uno consistat loco servitus, ceteris praedii partibus liberis *l. 13. §. 1. de S. P. R.* Sin illud, utrum nominatim, ut à toto fundo exciperetur, an simpliciter, h e indefinite servitus constituta sit, dispici oporteat; cumque priore casu res expedita sit, in posteriore liberum ab initio domini acquirentis factum, loci vero

vero semel electi mutationem amplius illicitam esse, dicendum erit *l. 9. de serv.* quod ad loca ab servitute etiam ab initio excepta, non pertinere notum est. *l. 22. de S. P. R.*

XLII. Sed quamvis prædiorum, quicquid hinc diminutionis, illinc augmenti reperitur, esse dicatur, absque dominorum tamen id fieri nequit, vel dominantis prædii commodo, vel servientis incommodo: quanta autem servitutis domino commoditas accedat, ex usu tum in servitute ipsa, tum in rebus extraneis, sed ad eum ipsum pertinentibus, versante colligitur.

XLII. Jus ex servitute ipsa prodiens ostendit constitutio ex unaquaque ejus specie dijudicanda: ubi generalem servitutis cautionem, omni ejus generis parti datam accipi debere, & constitutionis ambiguum orationem obscurius exprimenti nocere sciendum est. *l. 23. l. 17. §. pen. de S. P. V. l. 39. de Pact.*

XLIII. Extra servitutum tacite quædam ad ipsius tamen usum spectantia arripiuntur jura; si nova servitute ad usum jam constitutæ opus sit; si resectio loci ad servitutum destinati necessaria; si vicinorum etiam locorum usus desideratur *l. 3. §. 1. de S. P. R. l. 10. in fin. de S. P. V. l. 20. §. 1. eod. l. 15. de S. P. R. l. 11. in fin. com. præd. ad quæ tenendum, quod melior semper vicini conditio fieri possit, pactum tamen vel stipulatio subsequuta servetur l. 20. §. ult. de S. P. V. l. 33. §. 1. de S. P. R.* Quæ à parte eius, cuius prædio debetur servitus, certa, sine ulla difficultate conditionem domini debentis ex correlatorum comparatione metiri cognoscitur. *l. 15. l. 17. l. 20. §. 3. §. ult. de S. P. V. l. 14. de S. P. R.*

XLIV. Ad Servitutum cæterorumque, quæ illarum sunt, constitutionem, quid requiratur, quid constitutæ efficiant, deliberatum est; quod certis tamen etiam illæ, & quibus expirent modis, silentio non prætereundum. Nimirum, ut jura tantisper constitutione subsistentia evertere queant, quidam communes tam personalibus quam realibus, nonnulli his servitutibus proprii modi, justas requirunt causas, alias cum constitutione, alias post ipsam nascentes; illas aut ex lege servitutis adjecto die vel conditione constitutæ, Prætorisque Patrocinio
ratæ

rata l. 4. de Serv. junct. l. 56. §. 4. de V. O. promanantes, aut ex jure auctoris suspensum conditionis eventum sequente l. 105. de cond. & demonstr. l. 11. §. 1. quem. Serv. amitt. c. un. §. quid ergo, de investit. de re alien. fact. 2. F. 8. ortas; has ex casu, vel ex eius cui servitus debetur, facto provenientes; quasi sub posteriori voluntariam domini remissionem, & intermissum servitutis usum, sub priore confusum utrinque domini jus comprehendas.

XLV. Si quis igitur servientis idem & dominantis prædii dominus esse cœperit, nulla servitus supererit l. 1. quem. Serv. amitt. sed nominatim, ne liber veniat fundus, ab alienatione imponenda, l. 30. pr. de S. P. V. cuius tamen impositionis non ea est necessitas, ut uni vel pluribus servitute imposita prædiis, si alterum saltem vel pars dominantis domino cesserit, post ab eodem venderetur, requiratur. d. l. 30. §. 1. de S. P. V. Si quis servituti, vel certæ eius parti sive expressâ sive tacitâ voluntate renunciaverit, l. 8. pr. quem. Serv. amitt. l. 6. de Serv. l. 2. C. de pact. remissione finivisse dicitur servitutem.

XLVI. Si non utendo per modum & tempus ad eam rem constituta servitutem alienaveris, l. 28. de V. S. intermissione usus extincta vocabitur servitus, dum similiter urbanorum, ut rusticorum quoque prædiorum jura, certo tempore non utendo pereant, nisi quod hæc dissimilitudo est, quod illa non omnimodo pereant non utendo; sed ita si vicinus simul libertatem usucipiat. l. 6. de S. P. V. utraque tamen non nisi à quocunque possessore, jure tamen suo uti credente, l. ult. quem. Serv. amitt. neque alio quam de quo in constitutione actum est, possessio ususve uti totius ita partis locorum servientium sit intermissus l. 5. l. 6. l. 20. & seqq. quem. Serv. amitt. quod sine discrimine à parte acquirentis effari nefas esset: Itaque pluribus ad fundum communem servitus debita sociis, unius usu tota retinebitur, verum ad proprios singulorum fundos, quamvis per locum communem acquisitæ unusquisque intermissum usum suo obesse sciat proprio, licet prædio certis regionibus postea diviso. l. 16. l. 6. v. Celsus. quem. Serv. amitt.

XLVII. Statutum legibus tempus, uti X. contra præsentem, XX. contra absentes præter fluitantem, l. 13. C. de S. & A.

Ita,

Ita, si continuum, h. e. (civili numeratione, non ad momenta temporum, sed ad dies facta) quotidianum non sit, pro modo intervallorum multiplicari oportet, dum eos nemo incusare poterit, qui id non fecerunt, quod etsi maluerint, minimè adimplere lege obviante valebant. l. 1. §. ult. C. de annal. except. In quo non tantum id, quo præsens, sed & quo præcedentes domini non sunt usi, moræ putatur. l. 18. §. 1. quem. serv. amitt. Tantus hic summi juris rigor inter negligentiam & casum adeo non discernebat, ut Rusticis præsertim, si servitutem itineris ad sepulchrum excipias, l. 4. quem. serv. amitt. injurius videretur, nisi haud iniquæ partis postulationi benigno Principis rescripto subventum esset. l. 34. §. 1. & l. 35. de S. P. R.

XLVIII. Ita constitui, ita amitti servitutes, haud ambigimus legitimis probatum esse rationibus. Sed quia perpetuum velut inter libertatem & servitutem, subinde alterâ alteram expellere moliente, certamen, illâ in pristinam se speciem vindicaturâ, hâc semel immisâ ulterius grassaturâ, invidiam hominum exagitare haud desistit, quo & his justitia occurreret litibus, duabus quasi prælium committens actionibus, totam aperto voluit dirimi controversiam foro.

XLIX. His defenduntur tam servitutis quam libertatis, sua quisque, soli directâ acie institutâ, domini, (quamvis & ipsos interdum Prætoris sublevet auxilium l. 10. §. 1. si serv. vind.) sive in totum, sive pro parte tales, singulis etiam heredibus adversus singulos in solidum, quia usus servitutis indivisus est, actiones relinquentes. l. 17. de serv. & victoriam etiam reliquis, quamvis secundum actorem dicta sit sententia l. 31. §. ult. de neg. gest. parientes æstimatione tamen ad id, quod ejus, qui agit, interest, revocatâ. l. 4. §. 3. si serv. vind. Utilis actio etiam alios jus quoddam in rem habentes, tuetur. l. 1. §. ult. de superf. l. 11. §. 1. de publician. in rem. act.

L. Ita, cum suo quæque adversario, congregiuntur, quibus utriusque domini fata permixta sunt, Confessoria Negatoriaque, illa tanquam pro constitutâ sibi servitute, hæc pro rei suæ libertate contendentes l. 2. pr. si serv. vind. Mox assiduus utrinque clamor audiri, alterâ, injustè usu debiti ipsi juris arceri dominum, exponente, alterâ, servitutem ab adversario iniquo

C

usur-

usurpatam prætextu propugnante. *Iubeat mihi, illa vociferatur, officium judicis adversarium, aut de reficiendo pariete cavere, neque se, neque successores suos, prohibuituros alius tollere sublatumque habere; aut emendare vitium parietis & idoneum præstare compellat. l. 7. §. Serv. vind.* Sed & mihi, hæc exclamat, quicquid domini interest, liberum prædii usum prohibitum non fuisse, restitui iudex pronunciet. *l. 4. §. 7. eod.* (ἐν μόνον δέμα, unus ille casus, quo qui qossidet, nihilominus is actoris partes obtinet, §. 2. V. sanè de Action. adque eum Theoph. Paraphr.) idque vocibus ab ipsâ orationis Confitentis Negantisque formâ desumptis.

LI. Probabit autem Confitens Servitutum jure sibi constitutam, & pro modo constitutæ (nam in servitute diuturno usu & longa quasi possessione acquisita de Jure docere necesse non habet. *l. 10. §. Serv. vind.*) titulum addet. Negans vero propter juris, quâ quælibet res libera creditur, præsumptionem, adversario, nisi fortè per tempus, ut probat *Rittershus. ad §. 2. vers. contra quoque de Act. re serviente uso*, onus probandi imponet.

LII. Tandem adjudicationes fiunt, & iudex per sententiam, nisi validis fortè adversariorum exceptionibus, declarabit illinc petitam servitutum ad actionem pertinere *l. 8. §. 4. §. Serv. vind.* neque jus vel turbandi vel inquietandi ab ejus usu adversario esse, hinc rem quoad reum liberam pronuntiabit, etiamsi fortè quoad tertium servitute aliqua gravatam. *l. 4. §. 7. eod.* Sic ratio habebitur omnis causæ restituendæ commodorum damnorumque; *l. 4. §. 2. eod.* sic ad cautionem adiget reus, quâ securam utendi licentiam vel servitutis vel libertatis domino voveat, ne alias si huic non pareat sententiæ, in id, quanti actor in litem juraverit, condemnetur, *l. 7. eod.* atque ita fessis utrisque, alterâ victâ, partibus, discedatur, & tota denique de Jure controversia finiatur.

Μίαν ἡμῖν εἶναι βοήθειαν ἐπὶ παντὶ βίῳ τὴν εἰς θεὸν ἐλπίδα, καὶ τὰς ἡμετέρας πράξεις ἐκείθεν ἡρετῆος προσήκει, καὶ εἰς αὐτὴν ἀφορᾶν, καὶ πάντην αὐτῶν ἀρχὴν εἶναι καὶ μέσα καὶ πέρας. *EX NOV. CIX. præfat.*

DE Servitutum jure prædialium
dilecte SCHRAGI disputas solertiùs
ac moris est & patitur ætatis tuæ
ratio minoris. Scilicet vis indolis
igneæ tuæque diligentiaæ vigor
ille seniores antevertere temporum
metas videtur. Macte ceptis talibus!
dotes paternas æmulare sedulo
in rem Familiaæ publicique spem boni!

Ex animo gratulatur

PRÆSES.

Ad Clarissimum Dn. Respondentem,
Amicum meum dilectissimum.

Est equidem magnum magnis genitoribus esse
Natum, Majores & numerare probos;
At longè præstat studio virtutis Avitæ
Clarere & laudes continuare Patris.
Et genus & virtus consurgunt altius in Te,
Atque pari passu pergit utrumque decus.
Quod satis ipse probas Themidos gymnasmate sacro,
Quo doctè *Rerum Iura* tueris ovans.
Gratulor ex animo, mihi conjunctissime SCHRAGI,
Comprecor & Musis optima quæque Tuis.
Perge bonis avibus, mactum virtute Paterna
Te quoque ter faustum fata Paterna beent!

Beneficiis Paternis obaratus scribebat

Julius Reichelt, Math. Prof. P.

DUm *Servitutum* materiam gravem,
Tuâque dignam suscipis indole,
ductu *secundo Presidentis*
Stökkenii, Themidis Patroni.
Inserviendo Castaliis, nihil
Servile spiras, nobilis ingenî
ostendis amplas atque dotes,
quas vigiles peperere curæ.
Nam Te *Camœnas* adveniens Dies
videt colentem, Te moriens Dies

relin-

relinquit addictum sacratibus
 Legibus, & Studiis litantem.
 Divina Flacci quæ cecinit Lyra,
 Fortes creari Fortibus & Bonis,
 hæc vera reddis Clare SCHRAGI,
 Qui Clarii Decus es futurus,
 Et Qui Paterni sanguinis inclytus
 existis Hæres, Te stimulant satis
 laudes *avita*, *Bechtii*que
 dulce micans sedet ore Virtus.
 Et sic ad amplam stat Tibi Gloriam
 Iter paratum, sic operæ est *Tua*
Actus secundus, mox patebit,
 Pieriæ *Via* sic quietis,
 En! ut pateat Regia Delii,
 & quàm coruscent Aonidum Domus,
 Cyrrhaæ magno cum labore,
 ut radiet, superanda Rupes!
 Qua consecrantur Gorgoneo satis
 purgata Rivo Tempora, quæ colunt
 Rupes inaccessas inertis,
 & Veteri madido Diotâ.
 Tu, perge tritâ, *pars anima mea*,
 (finis beabit) currere semitâ,
 obtenta cursu meta Famam
 cum *Patriâ* feret hæc *Avitam*,
 Hæc vota faustis Primitiis dare,
 sic gratulari jussit amabilis
Fidi Damonis candor: ergo
 Vive, valeque diu superstes!

Nobilissima Domui Devotionem, Clarissimoque
 Dn. Disputanti sinceram amicitia fidem
 testaturus ser.

Johannes Christoph. Wendler.
 Ratisbon.


F I N I S.

Strassburg, Diss., 1667

X 22842 98

WDM





~~XXXV~~ 515.

DEO!

ANALYTICA, 21

QUITES

UM 166720.

BENS,

DITIS DISCEPTATIO

ESIDIO

R I

PLISSIMI, EXCEL-

SIMI,

von Stoffen/I. V. D.

ILLUSTRI TRE-

nt. Imperial. Prof. Publ.

rid, h. t. Decani Specta-

Patroni pl. colendi

T

R A G I O, Argentorat.

ri.

h. lq. solitis.

DRATI,

HELMI TIDEMAN.

LXVII.

734

3

